



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. IV. An iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

ceps reservare sibi venationem, aut piscationem?

Respondeo, Hostiensem, & alios apud Bonac. negare, eo quod animalia libera jure naturæ, & gentium ab omnibus capi possunt. Sed communius affirmant, etiamsi Princeps non solum ad propriam sustentationem, sed etiam ob meram oblectationem eas reservet. Ratio est, quia cum Princeps pro Republica laboret, par est, ut habeat, quæ suæ necessitati, aut dignitati conferunt, Addit Covar., quod non solum possit Princeps prohibere aliis venationem, aut alicui concedere jus venandi, sed etiam efficere inhabiles ad acquirendum dominium ferarum captarum venantes contra prohibitionem; Etenim lex justa potest efficere homines inhabiles ad dominium comparandum; in quo casu consurgeret obligatio illas restituendi, si caperentur. Addunt etiam communiter cum eodem Covar., quod non solum Princeps, sed etiam quilibet dominus agri possit prohibere, ne quis in suo agro venetur, vel aucupetur, cum possit prohibere aliis, ne suum agrum ingrediantur. Verum qui injuste venationem impedit, tenetur ad restitutionem illius probabilis lucri, quod venator facturus esset.

VII. Dubium est secundo, An teneatur ad restitutionem, qui venatur, quando a Principe, vel domino fundi prohibita est venatio, eo quod alicui concessum est jus venandi?

Respondeo, Vasq. cap. 5. de restitutione negare, quia hic in tali casu capit rem communem, nec impedit alterum, quin utatur jure sibi concessio; quamvis peccet faciendo contra legem prohibentem, ne venetur; Quam sententiam putat probabilem Bonac. quæst. 7. punct. 7.: Communiter tamen affirmant, quia violat jus concessum alteri a Principe, vel a Communitate, &c., ad capiendas res com-

munes; Alioquin sequeretur, quod faciens magnam lignorum stragem in sylva communi, aut piscans cum magno Communitatis detrimento, verbi gratia projiciendo in fluvium, aut paludem escas medicatas, quibus aquæ inficiantur, & omnes pisces moriantur, non teneretur ad restitutionem; quod est contra communem Doctorum.

Notandum tamen, quod venans in casu adducto non teneatur facere restitutionem, habita ratione animalium captorum per venationem prohibitam, sed solum habita ratione damni, vel lucri, quod cessavit illi, ad quem jus venandi pertinet.

VIII. Ex dictis sequitur, ut notat Bonac. num. 24, quod peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur, qui occidit, aut vulnerat animal alterius, dum damnum infert in suo prædio; non enim habet jus occidendi, sed solum expellendi, & satisfactionem exigendi; nisi forte aliter grave damnum impediri non possit; ut in simili casu docet Sà V. Restitutio num. 47. de eo, qui diruit domum vicinam, per quam incendium perventurum erat ad suam.

#### ARTICULUS IV.

An iterum facienda sit restitutio, quando res furtiva data alteri, ut restituatur, non pervenit ad dominum?

I. Res debita ex delicto, si deferatur per nuncium a debitore electum, perit ipsi debitori, antequam ad dominum perveniat; Sed si nuncius eligatur a Creditore, perit Creditori.

II. Res non debita ex delicto, sed ex contractu, si eadem in individuo debeatur, perit semper Creditori, si non pereat ob culpam debitoris.

N 2 At



*At si non debeatur eadem in individuo, perit debitori, si per nuncium a se electum transmittatur.*

*III. Res tamen, quae solum debetur ex re accepta, quamvis transmittatur per nuncium a debitore electum, perit semper Creditori, quamvis non debeatur eadem in individuo, dummodo non pereat ob culpam debitoris.*

*IV. Quid si res debita transmittatur per Parochum, vel Confessarium, & illa ad dominum non perveniat?*

*V. Quid si post conventionem cum Creditore, quod res transmittatur per Petrum, deinde transmittatur per Paulum expertum fidelem, & res ad dominum non perveniat?*

**I.** **Q**Uaeritur primo, Utrum res debita pereat domino creditori, an vero debitori, ( itaut debitor ad novam restitutionem teneatur, ) si pereat, antequam ad dominum perveniat?

Ante responsionem adverto, rem, quae restituenda est, vel restituendam esse ex delicto, vel ex contractu, vel ex re accepta: Rursus vel restituendam esse eandem numero, vel in specie eandem. Præterea notandum, quod nuncius, qui ad dominum rem defert, vel eligitur a creditore, vel a debitore. His positis,

Dico primo; Res, quae debetur ex delicto, verbi gratia furto, si deferatur per nuncium a debitore electum, & pereat, antequam perveniat ad creditorem, perit ipsi debitori, sive eadem numero, sive diversa debeatur; Unde ad novam restitutionem debitor tenetur. Si vero deferatur per nuncium electum a Creditore, perit ipsi creditori, atque adeo debitor non tenetur ad novam restitutionem. Ita communiter apud Bonac. Ratio primæ partis est, quia par non est, ut Creditor damnum patiat ob alterius

delictum. Ratio secundæ partis est, quia nuncius electus a creditore facit cum illo unam personam moraliter; ergo si restituatur res tali nuncio, censetur restituta ipsi creditori. Quare si cuti post restitutionem factam creditori res illa perit, ita post restitutionem factam tali nuncio.

II. Dico secundo; Quod non debetur ex delicto, sed ex contractu, si non debeatur idem in individuo, ( ut quando debetur pecunia numerata ) perit pariter debitori, si transmittatur per nuncium a debitore electum: Contra perit creditori, si transmittatur per nuncium ab ipso electum. Si vero debeatur eadem res in individuo, ( ut res pignori, vel commodato, vel deposito tradita ) perit semper creditori, per quemcunque nuncium transmittatur, dummodo non pereat per culpam debitoris. Ita etiam communiter. Et ratio horum omnium fundatur in illo principio, *Res, quae perit, domino perit*; quando autem transmittitur per nuncium a debitore electum res, quae non debetur eadem in individuo, puta pecunia numerata, tunc dominium illius rei manet penes debitorem, quousque perveniat ad creditorem; Unde si pereat, vel surripiatur, perit ipsi debitori; qui proinde tenetur iterum restituere: Contra, si transmittitur per nuncium electum a creditore, dominium illius rei acquiritur a creditore statim ac pervenit talis res ad manus nuncii facientis cum creditore quasi unam personam, & ideo si pereat, perit ipsi creditori; unde non est facienda iterata restitutio. Demum si res, quae debetur, restituenda sit eadem in individuo, cum dominium illius semper sit penes creditorem, per quemcunque nuncium transmittatur, ( nisi pereat culpa debitoris, ) semper perit ipsi creditori; Unde non est facienda nova restitutio.

Non



Non negaverim tamen, majorem diligentiam adhibendam in custodienda, vel transmittenda re commodata, quam deposita, locata, aut pignoriata; eo quod contractus commodati sit solum in beneficium commodatarii: Ex quo fit, ut facilius possit res commodata perire per culpam debitoris in illa transmittenda.

III. Dico tertio. Si res restituenda neque debeatur ex delicto, seu ex injusta acceptione, neque ex contractu, sed mere ex re accepta (verbi gratia, quia bona fide possederim illam, & nunc cognoscam esse alienam) sive eadem in individuo debeatur, sive diversa, puta quia rem alienam ita consumpserim, ut ex ea factus sim ditior, tunc si absque culpa debitoris pereat, antequam ad dominum perveniat, non perit debitori, sed perit domino creditori. Ratio est, quia ex dictis Possessor bonæ fidei ita debet restituere, ut debeat servari indemnis; non servaretur autem indemnis, si in tali casu ad novam restitutionem teneatur; ergo non tenetur.

IV. Ex dictis colligitur, in quoniam casu debitor ad novam restitutionem teneatur, si debitum transmittat per Parochum, vel Confessarium, qui illud sibi retineat, aut si alia ratione pereat: Si enim debitum est ex delicto, & Confessarius ab ipso debitore eligatur, ut debitum transmittat, facienda est nova restitutio, si debitum non perveniat ad dominum.

Adverto tamen, Reginal., Sor., Gabriel., & alios apud Less. cap. 16. num. 6. & Dian. part. 2. tract. 3. resol. 2. putare non improbabiler, quod si debitor per Parochum, aut Confessarium a se electum restituit, eo quod non possit id per seipsum exequi sine sui infamia, non teneatur ad restitutionem, si confessarius rem illam sibi retineat. Ratio est, tum quia debitor in tali casu restitutionem,

quantum est in se, jam fecit, ut debuit, & potuit; tum etiam quia si creditor consensisset, ut per Confessarium transmitteretur debitum, certe non esset nova restitutio facienda; Creditor autem in tali casu implicite, & rationabiliter censetur concessisse; ergo non est facienda nova restitutio.

Idem docet Dian. part. 10. tract. 16. resol. 97. contra nonnullos de eo, qui vovit, verbi gratia, mittere calicem, vel pecuniam ad domum Laurentanam, misitque illam per hominem fidelem; in quo casu si deinde non perveniat, non videtur teneri illum ad mittendum alium calicem, vel pecuniam.

V. Quæritur secundo; Utrum debitor teneatur ad novam restitutionem, quando rem in individuo debitam non transmittit per nuncium, per quem ex conventionem inter creditorem, & debitorem transmittenda erat, sed per alium pluries expertum fidelem, qui tamen cum re restituenda aufugit?

Respondeo, Gomez, & Bonac. quæst. 3. punct. 9. affirmare, sive res illa debeatur ex delicto, sive ex contractu, sive ex re accepta. Ratio est, quia debitor in re illa transmittenda non videtur adhibuisse debitam diligentiam; Nam ex lege *Cum qui, ff. Commodati*, non videtur diligens, qui contra formam pacti agit. Vasq. tamen, & Rebel. negant, quia debitor eam diligentiam adhibuit, ad quam tenebatur, dum rem transmittit per talem famulum alias expertum fidelem; nisi forte conventum esset de damno solvendo, si res per alium transmitteretur ab illo, super quo conveniant.